Per presens scriptum presentibus innotescat et posteris. quod ego Ferrandus dei gratia Rex Toleti et Castelle Concedo uobis Concilio de Toleto presentis et futuris: subscriptum priuilegium quod inueni ab illustrissimo auo meo Rege domno A. preclare memorie uobis prestitum in hunc modum.

Presentibus et futuris notum sit ac manifestum. quod ego Aldefonsus dei gratia Rex Castelle et Toleti. una cum uxore mea Alienore Regina et cum filio meo Ferrando. dono et concedo uobis Concilio de Toleto presentis et futuris ducentos morabetinos. annuatim in perpetuum percipiendos. de portatico porte de Bebsagra. quos expendatis in fabrica et reparatione murorum et turrium ville uestre. et in ceteris constructuris clausure ville uestre necessariis. Et ille qui redditus regales porte eiusdem predicte porte de Bebsagra de manu regis tenuerit. persoluat uobis unoquoque anno. ducentos morabetinos in perpetuum de primis morabetinis quos inde receperit. Et ego predictus Rex. F. ex assensu et beneplacito domne BERENGARIE Regine genitricis mee una cum fratre meo Infante domno Alfonso. dono in concambio uobis iamdicto Toleti Concilio istos supradictos ducentos morabetinos. quos in prenominata porta de Bebsagra percipiebatis. ut eodem modo in monte de Magan annuatim in perpetuum percipiatis. mandans atque precipiens. quod quicumque regales redditus montis de Magan de manu regis tenuerit. persoluat uobis unoquoque anno ducentos morabetinos. de primis morabetinis quos inde receperit. ad opus reparationum et constructurarum murorum et turrium et clausure ville uestre. ut supra in priuilegio continetur. Siquis uero contra hoc factum meum uenire presumpserit. et hanc meam cartam infringere attemptauerit. iram dei omnipotentis plenarie incurrat. et insuper Regie parti mille aureos in cauto persoluat. et dampnum uobis super hoc illatum. restituat duplicatum. Facta carta apud Toletum. xv. die Madii. Era. M. CC. L. septima. Anno regni mei secundo.

Et ego Rex. F. regnans in Toleto et Castella hanc cartam quam fieri iussi. manu propria roboro et confirmo.

Rodericus Toletane sedis archiepiscopus hispaniarum primas. confirmat.

Mauricius	burgensis	episcopus	confirmat.
Tellius	palentinus	episcopus	confirmat.
Geraldus	secobiensis	episcopus	confirmat.
Rodericus	segontinus	episcopus	confirmat.
Melendus	oxomensis	episcopus	confirmat.
Garsias	conchensis	episcopus	confirmat.
Dominicus	abulensis	episcopus	confirmat.
Dominicus	placentinus	episcopus	confirmat.
Johannes domini regis cancellarius Abbas sancti Andree			confirmat.

Signum Ferrandi Regis Castelle

Gonsaluus Roderici maiordomus curie regis confirmat. Lupus didaci de faro alferiz domini regis confirmat.

Rodericus	didaci.	confirmat.
Aluarus	didaci.	confirmat.
Alfonsus	tellii.	confirmat.
Johannes	gonçalui.	confirmat.
Rodericus	roderici.	confirmat.
Suerius	tellii.	confirmat.
Guillelmus gonçalui alcaldus Toleti.		confirmat.
Garsias ferrandi maiordomus Regine.		confirmat.
Gonçaluus petri maior merinus in castella.		confirmat.

Egidius iussu cancellarii scripsit.

m m